



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

96. Iesus die festo Dedicacionis Te[m]pli cum Iudæis disceptans in Porticu Salomonis eorum incredulitatem arguit, suam verò dignitatem ex operibus planè diuinis asserit. Qua eius oratione illi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

S. Matthæus.

S. Marcus.

S. Lucas.

S. Iohannes.

**I**Bant aut turbę multę cū eo: & cōuer-  
sus dixit ad illos, Si quis venit ad me,  
& nō odit patrē suū & matrē, & vxorem  
& filios, & fratres & sorores, adhuc aūr  
& animā suā: nō potest meus esse disci-  
pulus. Et qui nō baiulat crucē suā, & ve-  
nit post me: nō potest meus esse discipu-  
lus. Quis enim ex vobis volēs turrim æ-  
dificare, nō prius sedēs, cōputat sumptus  
qui necessarij sunt, si habeat ad perficiē-  
dū: ne postea quā posuerit fundamen-  
tū, & nō potuerit perficere, oēs qui vi-  
dēt, incipiāt illudere ei, dicētes, Quia hic  
homo cœpit ædificare, & nō potuit con-  
summare? Aut quis rex iturus cōmittere  
bellū aduersus aliū regē, nō sedēs prius  
cogitat, si possit cū decē millibus occur-  
rere ei, qui cū viginti millibus venit ad  
se? alioquin adhuc illo longē agente, le-  
gationē mittēs, rogat ea quę pacis sunt.  
Sic ergo omnisex vobis qui non renū-  
tiant omnibus quę possidet, non potest  
meus esse discipulus. Bonum est sal. Si  
autem sal euanuerit: in quo condietur?  
Neque in terram, neque in sterquiliniū  
vtilē est, sed foras mittetur. Qui habet  
aures audiendi audiat. \* 97.

*CAP. 96. Iesus die festo dedicationis aut potius restitutionis templi cum Iudæis dis-  
putans in porticu Salomonis, eorum incredulitatem arguit, suam verò dignitatem ex  
peribus planè diuinis asserit. Qua eim oratione illi offensi eum prebendere vole-  
bant & lapidibus obruere, sed ipse è manibus eorum  
elabitur. Iohan. 10. \* 82.*

S. Matthæus.

S. Marcus.

S. Lucas.

S. Iohannes.

**F**Acta sunt aut Encēnia in Ierosolym  
& hyems erat. Et ambulabat Iesus  
tēplo, in porticu Salomonis. Circūde-  
derunt ergo eum Iudæi, & dicebant e-



S. MATTHÆUS

S. MARCUM.

S. LUCAM.

S. IOHANNES.

Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus, Loquor vobis: & non creditis. opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibet de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ovis meis. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me. & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquã de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus. Sustulerunt lapides Iudæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Iesus. Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorũ opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi, De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Respondit eis Iesus, Nonne scriptum est in lege vestra, quia Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: quæ pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemias: quia dixi filius Dei sum? Si non facio opera patris mei: nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite: ut cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Querebatur ergo eum apprehendere: & exiit de manibus eorũ. Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum ubi erat Iohannes baptizans primum: & mansit illic. & multi venerunt ad eum, & dicebant, Quia Iohannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Iohannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum. \* 105.

R 3 Cap